poneque ullatibus meis. Tu neſcio quid mihi blandus me mira quadam uoluptate reſpergit ille cum dicitque triſticia ueſtra uertetur in gaudium. Sed ut eo ferar quo diſceptationem concitauiſtis Paupertatem ipſam dum ſummis laudibus ueſtris certatis efferre & tu dum noſtrum hunc areophilem irridendum ypocratiole tibi ſumpſiſti. Queſo qui tui ſunt oculi. Quod tantum eſt accumen ingenii. Hic te Iuvenalis illud incurſat. Loripedem rectus derideat ethiopem albus. quia tu ab uero diuerſus abis qui celum memorans Aſtrorum uim magnam extollis, & remis & uelo carentem nauem hanc occupaſti. Tu tuis illis corporibus ſupercaeleſtibus tribuiſti tantum. Age quid molitur celi regnator in ſolio. deſidioſum illum operantem nihil neque noſtra pendentem ſtudia tu tibi confinges. Hec ſi te inuaſit opinio ad epicureos te precipito. tu hec de deo cum illis & ſenties & predicabis. Nec bonum pro meritis capitur nec tangitur ira. Ille eſt ille inquam omnium rex qui fibris terre inſpirat & aurum iaſpides ceteraque que precioſiſſima uulgo ſunt & habentur. hic pacem hic triſticiam ſerit bella hic bonam ualitudinem & morbos infundit hic opibus hic paupertate nos afficit. Sunt hec uires principis illius ſummi dei non alterius ut Armentarii tui dii philoſophi uires tamen emenſi ſuas eſſe ruerunt qui deum non norunt qui de incognito nihil eſt quod deſeruiſſent. Quod uero dixi paupertatem uirtutem eſſe non poſſe quid delatraueris neſcis longe